



2b. 15



7
6
RECTOR
ACADEMIÆ FRAN-
COFURTANÆ

M. GEORGIUS
NEANDER GRÆ-
CÆ LINGUÆ PRO-
FESSOR P.

Ad exsequias funeris

Quas

*Politissimi ingenij,
Sincerae pietatis,
Elegantis doctrinae,
Spectatae probitatis
juvenis*

DN. ZACHARIÆ POLO
REICHENBACCHENSI

SIL. LL. STUDIOSO


A. d. 4. Kal. Julij

*Conterranei & propinqui honorificè ad-
paratas cupiunt*

Omnes reipub. literariæ cives amanter invitat.

Anno Christi

CL. I. CXXI.



Typis

MICHAELIS KOCHII



NON potuit melius aut à Lysippo fingi, aut ab Apelle pingi Alexandri Macedonis forma: quam ab Idumæa, ut creditur, Rege Jobo picta & descripta est fors hominis, cum ait: Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miserijs: qui quasi flos egreditur & conteritur: & fugit velut umbra: & nunquam in eodem statu permanet. Principio enim originem hominis, & generis nobilitatem pandit: eamq; ex Utero deducit mulieris: quæ à Serpente inescata virum ad peccandum illexit: & in mundum mala omnia, ipsamq; adeo mortem in dexit. Hujus in rei memoriam cum redimus, & unde venerimus cogitamus, non possumus cum Bernharo non erubescere, & à fastu ac superbiâ ad modestiam traduci: sicut mellitissimus idem Abbas alio loco, tria, inquit, semper in mente habeto: quid fuisti, quid es, quid eris. quid fuisti? sperma fatidum. quid es? vas stercoreum. quid eris? esca vermium. Tum verò durationem vite humana vir sanctus breviculo definit tempore, & tam angustis concludit terminis: ut Theophrastus cum rerum naturâ quondam expostularit: quod cervis & cornicibus tantum indulserit, ut quina aut dena secula durent: homini in tam multa ac magna genito tantò citiorem terminum statuerit: Xerxes verò Persarum Rex, cum innumerum suum exercitum oculis obijisset, largos lachrymarum imbres profuderit, quod tot millibus tam brevis immineret occasus. Adjungit deinde comitatum hominis: multas nempe miserijs & erumnas: quibus uniuscujusq; mortalium, tam ejus qui in folio glorie cum purpurâ & sceptro sedet, quàm ejus, qui humi abjectus in terrâ & pulvere jacet, ita septa & cineta est vita: ut jam olim Gentilium alius exclamarit: πᾶν ἐστὶν ἀνθρώπος συμφορὰ: alius τὸν θρόνον ἀπὸ τῆς γῆς: alius, οὐ βίος ἀληθῆς ὁ βίος, ἀλλὰ συμφορὰ. Quia verò
ut

*ut max. brevis & misera sit hominis vita, sic tamen plerisque
 dulcis & chara est: ut in eâ diutius manere desiderent; &
 neq; debilitatem recusent, nec deformitatem, nec novissimè a-
 cutam crucem, dummodò inter hac mala spiritus prorogetur:
 addit vir sanctus, frustra id esse: ipso enim cursu mortalis
 vitæ impelli hominem ut egrediatur: eaq; propter florē eum
 similem facit, qui simul atq; egressus est, succiditur. Hu-
 jus enim instar homo egreditur, quia nitet in carne: sed
 conteritur, quia redigitur in putredinem: procedit
 more floris ex occulto, & subito apparet in publico: sed
 mox è publico per mortem retrahitur ad occultum.
 Carnis viriditas hominem ostendit: sed ariditas pulveris ab
 adspectu retrahit: quasi flos apparet, qui non erat: quasi flos
 arefcit, qui temporaliter apparebat, ut loquitur Gregorius.
 Et quia singulis momentis ad mortem homo compellitur: re-
 ctè subjungit, fugacem eum esse: & fugere, non quidem ut
 Solem, qui & ipse in perpetuo motu est, nec unquam quiescit:
 sed ut umbram: eò quod nec cordis calorem Conditoris a-
 more perditto habet: nec vitam, quam diligit, tenet. Eodem
 modo Aeschylus hominem dixit umbram fumi: & maximus
 Homeri imitator divinus Poëta Sophocles ita sapientissimum
 virum Ulysssem loquentem facit:*

Ὅρα γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν

εἰδῶλ', ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κωφὴν σκίαν:

Video nos aliud esse nihil, præter

Simulacra quædã, quotquot vivimus aut umbram levẽ.

*Quanquam stabilior penè homine ipsa est umbra: quan-
 doquidem nec loco prior movetur, nec Sole lucente vi ullâ impe-
 diri potest, quin corpori suo sit comes: cum hominem vel pusilla
 & languidula res possint tollere, etiam cum ætas ejus floret, &
 ad tesseram jam anni venerunt. Instabilitatem deniq; homi-
 nis ut eò magis ob oculos nobis ponat, eum nunquam eodem*

vestigio consistere ait. Dum enim infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juvenus ad senectutem, senectus transit ad mortem: in cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur: & inde semper deficit, unde se proficere in spacium vitæ credit. Neq; enim fixum hic statum habere potest, ubi transiturus venit: ipsumq; vivere nihil aliud est, quam quotidie à vitâ transire, & ad mortē ire: ut iterum Gregorius non solum cognomine, sed rebus ipsis magnus & sanctus. Quod si ad voluntatem hominis respicimus, ea ad mortem usq; ambulatoria est: & ob id Plato ἀνθρώπων dicit esse φύσιν εὐμετάβολον ζῶον: & Simonides faciliorem esse scribit hominis mutationem, quam musca quantumvis celerimè volantis: sin. ad fortuna vices, subito ex paupere dives, ex contempto metuendus sit, ut Tacitus loquitur: vel, ut sapientiss. Siracides: qui hodie rex est, cras moritur: &

Qui nunc floret homo, cras miser aret humo.

In ejusdem rei considerationem, & in rem quasi præsentem nos quoq; manu ducit juvenis, dum vita erat, optimus & doctissimus, DN. ZACHARIAS POLUS Silesius, qui & ipse profectò natus muliere, brevis ætate fuit: & satur cōmotive: atq; ut flos egressus & succisus est: & fugit velut umbra: neq; constitit etiam tunc, cum valida juvena quasi quædam meridies ei refulgeret. Fidem verbis nostris faciet initium, progressus & decursus vitæ ejus, quam, ut à conterraneis accepimus, paucis delibabimus. Natus est ZACHARIAS POLUS anno post Christum natum M. DC. die XIX. Januarij, stilo novo, Reichenbachij: quod in Ducatu Suidniciensi Silesiæ oppidum est, octo quasi millibus passuum Suidnicio, amplâ & copiosa urbe, distans: non tam rivo aureas arenas trabente (quanquam is quoq; auro turbidus aliquando fuisse, rutilasq; arenas volvisse perhibetur) quã
ubere

ubere bonorum ingeniorum proventu celebre. Patrem habuit
virum raris virtutibus, & satis amplo censu in urbe conspicu-
um, Dn. GASPAREM POLUM, Senatorij ordinis virum,
Consulem tandem etiam, & scholæ Curatorem: matrem UR-
SULAM Hemen/matronam piam & honestam: sed hanc, ne
quid ad miseriam statim deesset, nondum bimulus amisit: il-
lum verò paullo post, quam ex ephebis excefferat: utrumq; pla-
nè intempestivè, & eâ etate, quâ utriusq; operam quàm maxi-
mè desiderabat. Pater nihilominus, quam diu vixit, filium
hunc suum unicum uniceq; charum liberaliter educavit: & in
bonis literis ac moribus, & potissimum Dei metu erudiri cura-
vit: ejusq; indole perspectâ studiis literarum destinavit. Qui
cum in patriâ scholâ pietatis, linguarum & artium bonarum
rudimenta cupidè & celeriter cognovisset: Uratislaviam pri-
mùm anno Christi 1617 circa Pascha à Patre ductus fuit:
mox post mortem Patris, qui in XIX Sept. diem ejusdem anni
incidit, consilio Curatorum suorum, Dn. Nicolai Logen
Consulis, & Ioannis Nafens Iudicis oppidani, virorum pru-
dentiss. & spectatissimorum, nec non CL. Sororij sui, Dn. Ge-
orgij Titschardi Medicinæ Doctoris & Physici ejusdem Reip.
Suidnicium sequenti anno migravit. Utroq; in gymnasio du-
ctum optimorum Præceptorum eâ ingenij sui agellum industriâ
excoluit: ut magno cum fœnore commissam sibi pietatis & do-
ctrinæ sementem, si vita mansisset, procul dubio redditurus fu-
erit. Cum atas, & discendi ardor superiore anno in academi-
am eum vocarent: Lipsiam sese in nundinis vernalibus contu-
lit: ibiq; in omni genere liberalis doctrinæ præstantiss. cœpit
audire Doctores, & è sacris illorum pectoribus, maximè verò
ex Consultiss. & Excellentiss. viri, Dn. Christophori Preibi-
sij U. J. Doctoris & Professoris, cui in privato Institutio-
num Imperialium collegio sedulam operam dedit, abditos do-
ctrinæ fontes ore hianti bibere, Non n. cū Manilio Senatore Ro-

mano, aut Phemio Homericō, sine magistro proficere, aut absq̄
ductore viam, quam nunquam ingressus erat, ingredi vole-
bat: Et ad eruditionem comparandā conducibilius esse putabat
ζῶον φωνῆ ἔχοντα, ἢ τοῖς ἀφώνοις διδασκάλοις. Arbitrabatur
enim, id quod res est, si satis esset, ex solo commentario sapere:
haud quaquā opus aut hodieq̄ adolescentibus esse, ut tantis sū-
tib. in academias mittantur: aut olim fuisse tot Philosophis,
ut per exteras nationes peregrinarentur eos audituri, quorum
libros jam in cubiculo legissent. Lipsiæ ubi semestre spacium
commoratus erat, Et legib. ac moribus academicis adsueverat:
jussus fuit à Curatoribus ad nos Francofortum ire: forte ut
hoc modo Et patria propior esset, Et à turbis ac motibus passim
gliscentibus longius abesset. Itaq̄ circa festum Michaëlis anni
præterlapsi cum populari, eodemq̄ propinquo Et contubernali
suo, Dn. Nicolao Heringo, excitati ingenij Et exploratæ in-
dustriæ adolescente iter ingressus in nostram venit academi-
am: animum secum adferens optimis moribus excultum, Et
res humano generi salutare discendi cupidum: sed corpus non
usquequaq̄ firmum Et validum. Vix enim tres ab ingressu e-
jus in hanc urbem præterierunt menses: cum eum, in virtutum
Et doctrina stadio majora indies spacia facientem, atq̄ ita vi-
ven- p, ut jucundus omnibus, gravis Et molestus suâ culpâ
esset nem- i, tabes invasit: eiq̄ calamum Et libros e manibus,
alacritatem ex animo, vires e corpore excussit: nec prius con-
quievit, quàm ante quinq̄ hebdomadas circiter lecto eum adfi-
geret; adfixū siti, tussi alijsq̄ gravioribus symptomatis adfli-
geret; adflētum deniq̄, Et instar curionis agni maceratum
Et emaciatum, ita ut ossa atq̄ pellis esset miserâ macritudine,
morti traderet Ad levandum Et propulsandum istum mor-
bum nihil fermè intentatum ipse Et populares reliquerunt:
adhibita fuere duo illa, quæ vocant, crura in valetudinis cu-
râ; ardens precatio, Et prudens medicatio: non neglectæ præ-
ces publicæ in cœtu Et congregatione, quibus q. manu factâ

Deus ambitur : consultus Medicus, peritiss. ille & diligentis-
mus : qui & egrum saepius invisit : & medicamenta ei mo-
le pauca, virtute magna propinavit; & rationem victus seu
dietae exquisitam praescripsit: etsi ad primum conspectum e-
gri salutem desperasse dicitur. Fecit quoque, eger officium su-
um: & à Medici praescripto ne latum quidem discessit un-
guem: bonà spe fretus futurum, ut convalesceret, & studio-
rum telam feliciter ceptam absolveret, rei publicae utilem a-
liquando operam navaret. Ubi autem morbum ingravescere
& humanis praesidijs amplius locum non esse vidit: vitam &
mundana omnia valere jubens, ut antehac in omni vitâ, cer-
tè quidem quamdiu nobiscum vixit, modestiâ & morum inte-
gritate apprehensâ ad bene beatèque, vivendum, ita nunc inex-
pugnabili patientiae scuto arrepto totum sese ad beatam ex hac
vitâ migrationem composuit: & de solâ animae suae salute
solicitus a. d. 3. Kal. Junij verbi divini ministrum, Dn. M.
Joannem Sobolum, Senem venerandum, ad sese accersivit:
ab eoque, posteaquâ delictorum juvenutis veniam Deum vultu
demisso poposcerat, vocem Evangelij de gratuita peccatorum
remissione audivit: & sacrosancta mysteria percepit. Ab eo
tempore meditationibus sacris & coelestium rerum contempla-
tioni totum se dedit: & praeclearis ac delenificis sacrae scripturae
dictis, quae ipsi vel memoria suggerebat, vel codicillus offere-
bat, vel populares rogati verbis praebat, sese erexit & confirma-
vit: tandemque, inter pias preces & suspiria, die XX. mensis hu-
j9, mane post primâ exspiravit: & cū primum saltè & vicesimū
excessisset annū, satur miseriarū & erumnarum, quarū mox
primâ etate, ut vidimus, craterem fortuna ipsi propinavit, vel
potius Deus ipsi miscuit ad salutē, floris instar contabuit, & um-
brâ ocyus fugit: corporisque, sui exsudias honorificè terra mandā-
das popularibus suis, juvenibus ingenio, doctrinâ & humanitate
praestatis. reliquit. Qui, quod ultimâ defuncti voluntatē modis
omnibus

omnibus implendam, & corpus, quod pia anima non ergastu-
lum sed domicilium fuit, more Christiano humo injectâ conte-
gendum esse rectè statuant, sedulo hodie funus curant: cujus
ad exsequias cohonestandas ut magno numero & spectabili fre-
quentiâ, eminentissimi Academiae cives, procedere; & post ho-
ram duodecimam ante aedes meas, unde efferetur, convenire,
eademq; operâ & defuncto commilitoni honorem extremum
tribuere, & politissima nationi Slesiticae benevolentiam con-
testari vestram velit, reverenter orant, vehementer optant.
Benè valet: & humanae sortis memores, dum certa quidem
mors est, hora autem mortis incerta, ita vivite, ut semper ad
migrandum parati inveniamini: nec quisquam vestrum ali-
quando exclamet:

Væ mihi: vado mori, qui longum vivere tempus
Constitui; sed nunc væ mihi: vado mori.

C. N.



Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







7
6

TOR
IÆ FRAN
TANÆ

RGIUS
ER GRÆ
UÆ PRO
OR P.
ias funeris
ias
ingenij,
etatis,
doctrina,
probitatis

RIÆ POLO
ACCHENSI
UDIOSO
al. Julij
nqui honorificè ad
upunt
cives amanter invitat,
hristi
CXXI.
S K O C H I I